



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

34. An Inquisitores debeant punire tanquam Hæreticum facientem ritus
hæreticales, seu proferentem verba hæreticalia, & negantem
intentionem? Ex p. 4. t. 7. r. etiam 34.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

530 Tractatus XII. De Poenis delictorum,

concurrerent / quo casu communis DD. opinio esset tenenda. Ita Rojas, & alij.

3. Restat modò respondere ad argumentum contrarium supradictum, ad quod respondeo cum Ioseph. Aldrete de rebus scriptis. lib. 1. cap. 14. n. 13. & aliis, quod in sacro Inquisitionis Tribunali diligentia DD. Inquisitorum supplet abundanter id quod defensionis, in testium nominibus supprimendis, adimitur.

4. Claudam igitur hoc quæsitum cum verbis doctis. Francisci Pegna in direct. Inquis. comm. 20. sic asserentis. Non possumus diffiteri liberum esse iudicibus fidei, & ob communem sententiam, & ob iura duos solum testes idoneos in quavis causa postulantis, & ob communem ulum sacri Tribunalis Inquisitionis, ad voces duorum testium idoneorum, reum hujus criminis condemnare. Negativa sententia valde benigna est & secuta, quæ tunc potissimum non esset condemnanda, quando reus insignis probitatis communiter haberetur, & integre famæ & incorrupte vitæ; tunc enim non esset incongruum, aut differte supplicium, donec fortè aliæ accederent conjecturæ & probationes; aut mitius punire, & hac etiam ratione videntur loquuti hujus opinionis asserentes. Ita Pegna. Vnde reus malæ vitæ & famæ potest puniri à DD. Inquisitoribus tanquam hæreticus ex delatione duorum testium, dummodo sint testes, & omni exceptione majores, & ita præter DD. citatos tenet etiam Maleus maleficarum tom. 1. p. 3. q. 2. & hæc dicta sunt in rigore loquendo, nam hodie praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ, regulariter non damnat quoscunque hæreticos ad poenam ordinariam, nisi per tres testes testes idoneos.

RESOL. XXXIII.

An Inquisitores possint damnare reum, ut publicè abjuret de levi?

Et an abjuratio de vehementi, quamvis fieri debeat publicè, & in loco publico, possit tamen ex rationabili causa fieri non publicè, sed secreto?

Et notatur, quod etas necessaria ad abjuratorem in masculis est 14. annus, & in feminis 12.

Et advertitur, quod si supra dicti reconciliantur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabuntur, ex misericordia, consulto Supremo Consilio Inquisitorum, videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 33.

Sup. hoc in §. 1. Negativam sententiam docet Sanctarell. tr. de hæresi, c. 41. dub. 2. n. 4. Sigismund. Scaccia de judic. caus. & c. lib. 1. c. 5. n. 10. Pegna in direct. Inquis. p. 2. licet ad lin. comm. 40. Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 12. & Rojas singul. 1. n. 26. ubi sic ait: Secunda differentia quæ est inter abjuratorem de vehementi, & de levi est respectu loci; nam abjuratio de vehementi fit solemniter in conspectu totius populi, sed de levi in domo Episcopi, vel coram Inquisitoribus. Ita ille, & ante omnes Simanca tit. 1. n. 24.

2. Verum hæc sententia ita absolute prolata (pactantorum virorum) mihi non placet, & hodie praxis S. Inquis. Hispan. in aliquibus casibus, ut patet, est in contrarium: nam contrahentes binas nuptias abjurant de levi, & tamen publicè: idem etiam faciunt aliquando blasphemii, legentes libros hæreticorum, Astrologi judicarij, &c. ut infra suis locis parebit. Vnde libenter adhæreo sententiæ Eymerici, qui pro sua sententia male citat Rojas, in direct. Inquis. p. 3. n. 161. ubi docet quod reus si est suspectus publicè, debet etiam publicè abjurare de levi; si autem non, abjurabit in Audientia secreta Inquisitorum, secundum quod apud plures, vel pauciores suspectus fuerit de hæresi. Igitur in casibus

contingentibus, hoc remittendum puto arbitrio DD. Inquisitorum; & ideo Sousa in apbor. Inquis. lib. 2. c. 40. n. 5. loquens de abjuratone levi, sic ait: Hæc abjuratio aliquando fit publicè, aliquando verò secretè, secundum quod culpa publica, vel occulta fuerit, prout Inquisitoribus videbitur. Ita ille.

3. Nota etiam quod licet abjuratio de vehementi, debet fieri publicè, & in loco publico, ut diximas, & docet Riminald. lib. 6. conf. 186. Menoch. de arbit. lib. 2. c. 3. n. 1. & constat ex cap. ad abolendam, §. preterea, de hæret. & ibi Bartolus n. 6. Socin. n. 8. & Ananias n. 12. & ex Bulla Martini V. tamen aliquando, ut optime notat Pegna in direct. Inquis. p. 3. comm. 40. n. 161. rationabilis causa potest suadere, ut abjuratio de vehementi efficiatur etiam non publicè, sed secretè. Etas verò necessaria ad abjurandum in masculis est 14. annus in feminis 12. ut patet ex Confil. Tolet. c. 11. & Bituricensi cap. 31. Non desinam tamen hic apponere verba iustit. Vallisolet. anno 1488. §. 12. sic asserentis. [Los menores de edad de discrecion assi hombres como mugeres no sean obligados a abjurar publicamente salvo del puer de los dichos años de discrecion, que son doze en embra, y catorce en varon y que assi se enjenda el capitulo de las ordenaciones de Sevilla que en esto dispone, y que sendo mayores de los dichos años, abjuren de loque hizieren en menor edad, siendo doli capaces.] Quæ verba ut observat Patamus lib. 3. q. 4. n. 17. & ante illum Pegna in direct. p. 3. comm. 40. n. 162. indicare videntur pueros ante ann. 14. & feminas ante 12. posse abjurare, non tamen publicè, si doli capaces fuerint. Sed ego puto, hanc sententiam raro à DD. Inquisitoribus in praxi deducendam esse, & ideo Sousa in apbor. lib. 2. c. 40. n. 4. sic ait: Masculi ante 14. annum, femina verò ante 12. non abjurant, nisi raro, etiam si sint doli capaces. Ita ille, & Pegna loc. cit.

4. Advertendum est tamen, quod supradicti si reconciliantur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabuntur, ex misericordia consulto supremo Inquis. Consilio videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu, iterum ad reconciliationem, & ita tenet Inquisitor San Vincente in manu tr. c. 9. §. 3. ubi sic ait: Si el ralapso esta conuencido de la ralapso por testigos, haviendo sido la primera vez solo conuencido por su confession, aunque en rigor deve ser relaxado, se deve atender mucho a la edad y capacidat del Reo, al tiempo de la primera reconciliacion, pues por los menores siendo de los que abjuraron los errores, que tuvieron menores las mugeres de doze y los hombres de quatorce años, conforme a la instruccion de Valladolid, ibi doli capaces, pareçe que se deve ualor con ellos de misericordia, admitiendo los segunda vez à reconciliacion consultando siempre al Consejo.] Sic ille. Cuius opinio deserviet supra proximè cap. 26. de relapsu.

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores debeant punire tanquam hæreticum, facientem ritus hæreticales, seu proferentem verba hæreticalia, & negantem intentionem? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 34.

§. 1. Ego more meo breviter, & clarè colligam aliquam ex probatissimis Authoribus. Dico igitur, quod Io. Rojas de hæresi. p. 1. n. 276. & seq. c. n. 583. & seq. Albertin. de agnosc. q. 8. m. 12. q. 32. m. 7. q. 34. n. 57. & alij, asserunt quod si quis confessus, vel convictus, dicat se ritus hæreticales fecisse, sed negentem, dicat ut hæreticus puniendus est, & ideo relaxandus Curie seculari, tanquam hæreticus negativus. Verum his non obstantibus, Didacus Canera in 99. crim. rubr. de hæresi. cap. 1. dub. 6. n. 69. concludit, quod licet de rigore juris

In S. Officio imponendis Ref. XXXV. &c. 531

supradicta sententia sustineri possit, ejus tamen opinio est quod si reus, siue confessus tantum, siue convictus & confessus, de facto hereticali intentionem neget, non relaxandus tanquam hereticus, sed super intentione torquendus est. Et ita hanc sententiam tenet etiam Peg. in direct. Inquis. p. 2. comm. 59. §. quod si non compareant sponte Lazar. de blasphem. 6. n. 13. & Jacob. de Grassis in decis. p. 1. lib. 2. c. 5. n. 15. Lopus & Card. penes Canteram ubi supra, qui mordicus tenet negativam sententiam, & respondet ad argumenta Rojas.

2. Sed quid dicendum, si non agatur de factis hereticis, sed tantum de verbis? Rojas ubi supra, de heret. part. 1. n. 302. 303. & 306. cum Albertino de agnoscend. 9. 36. n. 18. 9. 8. n. 12. & 9. 34. n. 52. & 53. & alij putant, quod si aliquis confitetur non facta, sed verba hereticalia protulisse & negat intentionem, is non tanquam hereticus relaxandus est, sed quia est de heresi suspectus, potest super intentione torqueri. Vide etiam Decianum in tract. crim. lib. 5. c. 36. n. 19. Pegnam in direct. Inquis. part. 3. 9. 61. comm. 110. & alios. Igitur supradicti DD. distinguunt inter facta & verba hereticalia, & ideo putant consistentem se fecisse facta hereticalia, & negantem intentionem, relaxandum esse tanquam hereticum; consistentem vero se dixisse verba hereticalia, & negantem intentionem, torquendum esse tanquam de heresi suspectum; & ita in specie sentit iterum Albertinus de agnoscend. 9. 36. n. 18.

3. Advertant tamen Lectores, quod doctus Simanca variis sibi videtur, & contrarius in hac questione, nam in cath. instit. tit. 6. §. 5. n. 52. asserit absolute & sine ulla distinctione torquendum esse reum, qui confessus fuerit se dixisse, aut fecisse aliquid hereticum, si neget intentionem hereticam, & antea tit. 13. n. 16. & in enchir. tit. 29. n. 8. contrarium docet, nempe quod qui facta, aut verbis heresim committit, ut hereticus puniendus est, quamvis recta intentione id fecisse juraverit.

4. Sed quid ego sentio in hac questione, dicam breviter. Opinionem Canteræ & aliorum asserentium quod in verbis & in factis, si reus neget intentionem, sit tantum torquendus, puto probabilem esse, quando reus ipse confitetur delictum, & negat intentionem; secus autem si non solum confitetur delictum, sed de illo sit convictus & ita hanc sententiam tenet novissime Toriblanca de magia lib. 3. c. 5. n. 49. Fatinae quem citat & sequitur Caltrus Palaus tract. 4. disp. 4. punct. 3. n. 17. Igitur negantem intentionem, & citus hereticus facientem, si testibus esset convictus puto tanquam hereticum negativum relaxandum esse; quia aliter aperiretur via omnibus hereticis vitandi condemnationem, nam omnes se excusarent, dicendo absque intentione verba hereticalia dixisse, & facta præstitisse; & hæc opinio hodie regulariter servatur saltem in nostris Tribunalibus Inquisitionis Hispanicæ, ut testatur Joseph Selse in decis. Regni Aragon. tom. 4. decis. 441. n. 32. in fine.

RESOL. XXXV.

An Inquisitores possint superveniente probatione reum absolutum iterum examinare, & condemnare?

Sed difficultas est, an reo in penam extraordinariam condemnato ob defectum probationis, si superveniant novæ probationes possint illum Inquisitores in penam ordinariam condemnare?

Et an verò indicia supervenientia sint conjungenda cum indicibus, ex quibus reus prius fuerat tortus? Ex p. 4. tr. 8. Ref. etiam 35.

§. 1. I. In aliis criminibus, post sententiam absolutam non licet reum absolutum iterum de eodem crimine examinare, inquirere, & punire.

tamen in favorem fidei contrarium dicendum est in causa heresis in qua sententia absolutoria nunquam transit in rem judicatam, ut late probant Sousa in aphor. Inquis. lib. 2. c. 37. n. 31. Rojas de heret. p. 2. n. 384. Simanca in cathol. instit. tit. 60. n. 13. Pegna in direct. Inquis. p. 3. comm. 37. & 91. Scaccia de judic. l. 1. c. 93. n. 2. & 3. & ita determinavit Pius V. in Bull. edita an. 1567. & hæc opinio procedit contra Repertor. Inquis. ver. absolutio, & ibi Mandosium in addit. lit. E, etiam si reus fuisset absolutus de eadem heresi tanquam innocens, ut optime notat Scaccia loc. cit. & ideo in instruct. Hispan. anno 1484. n. 3. sic habetur. [Item acordaron y ordenaron, que los que fueren presos por este delito que no sean fatigados en las carcelles, en la dilacion del tiempo, que luego se haga el processo con ellos, porque no haya lugar de que xarse y no se detengan a causa de no haver entera provança, pues que es causa que quando sobreviene probança se puede de nuevo agitar no obstante la sentençia, que fuere dada.] Sic ibi. Hinc fertur cum Ferdinando de Castro in oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 11. n. 10. in causa heresis, probationes supervenientes conjungi posse cum præcedentibus insufficientibus, & ob quarum insufficientiam absolutus fuit reus ab instantia judicii. Vide Pegnam in direct. part. 3. comm. 92. & Simancam in cathol. instit. tit. 18. n. 12.

2. Sed difficultas est, an reo in penam extraordinariam condemnato ob defectum probationis, si superveniant novæ probationes, possint illum Inquisitores in penam ordinariam condemnare? Lucas de Peña & Jacobus Bellovisio apud Rojas ubi infra, affirmativam sententiam tenent; alij verò asserunt, quod si pena extraordinaria non fuit executioni mandata, tunc reus pena ordinaria puniri potest, superveniente legitima probatione; secus si mandata sit executioni, & ita docet & observatum esse in Hispania in Sacri. Inquisit. Tribunali testatur Ferdinandus de Castro ubi supra in oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 11. n. 11. Igitur secundum Castrum, si pena sit executioni mandata, in casu tali censet nullo modo posse puniri reum pena ordinaria, sed à pena ordinaria detrahendum, quantum arbitraria importat; nam alioquin reus puniretur gravius, quam mereretur, & in hanc sententiam inclinat Rojas de heret. part. 2. num. 392. licet loquatur cum verbo *forstan*, & in hac questione difficili & ambigua, discipuli potius quam Magistri officio fungi velit. Verum ego absolute & sine ulla formidine existimo tenendam esse opinionem Castri Palai, quam tenet etiam novissime Anton. Sousa loco infra citando, num. 8. ubi sic ait. Condemnatus propter heresim, aut suspicionem illius in penam arbitriam ex defectu probationis, si plena probatio supervenerit, puniri debet pena ordinaria, dummodo prima pena adimpleta non fuerit; si autem adimpleta sit, compensetur in secunda. Ita ille, qui optime tamen n. 9. limitat supradictam sententiam in casu quo pena ordinaria delicti sit capitalis, nam prima pena etsi corporalis, non minuet secundam; nec secunda compensabitur cum prima, sed tota ordinaria imponi potest, cum talis pena divisibilis non sit.

3. Et tandem non desinam hic adnotare ea quæ etiam observavit apud eundem Soulam in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 37. num. 7. ubi ita ait. Abjurata vehementi heresis suspicionem, si deitur novæ probationes non plene convincentes novorum lapsuum, post dictam abjuratorem commissorum, de juris rigore tales probationes conjungi possunt cum præcedentibus, ad unam constituendam probationem, cum sententia non transeat in rem judicatam, hætenus tamen hoc praticari non vidi. Ita Sousa, quod est valde notandum. An verò indicia supervenientia sint conjungenda cum indicibus ex quibus reus prius fuerat tortus, videntur Domini Inquisit. omnino Prosperum Farinac.

Sup. hoc in Ref. not præterita, §. 2. a lin. 5.

Sup. hoc in tract. 10. Ref. 76.